

Dissertatio medica inauguralis de menstruis ... / [Matthew Dobson].

Contributors

Dobson, Matthew, -1784.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : G. Hamilton & J. Balfour, 1756.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hzbsx3hu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MENSTRUIS:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. JOANNIS GOWDIE,
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MATTHAEUS DOBSON, A. M. ANGLO-BRITANNUS,

Ad diem 19 Julii, horâ locoque solitis.

—— *Forſan et haec olim meminiffe pigebit.*
VIRG. *Aeneid.* I. l. 207.

EDINBURGI:
Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
M,DCC,LVI.

36020



VIRO EXIMIO
MEDICOQUE PERITO
GULIELMO CULLEN,

PHILOSOPHIAE CHYMICAE
IN ALMA HAC ACADEMIA EDINBURGENA
PROFESSORI CELEBERRIMO;

OB INSIGNEM
QUA ME SEMPER ACCEPIT
BENEVOLENTIAM ;

DISSERTATIONEM HANCCE,
STUDIORUM IN RE MEDICA PRIMITIAS,

D. D. C. Q.

MATTHAEUS DOBSON.

1875

Very Truly

Yours

GULIELMO GUARINI

Professor of Chemistry

in the University of Turin

Italy

to the

Academy of Sciences

of Turin

Italy

Presented by

Dr. G. GUARINI

MATTHEO LEBRON

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENSTRUIS.

INTRODUCTIO.

CORPUS muliebre a Summo Creatore ita est conformatum, ut certo vitae tempore, anno scilicet fere decimo quarto, varias magnasque subeat permutationes*. Tunc enim fluidorum, in quasdam corporis partes copia solita majore profluentium, novae fiunt distributiones: hinc mammae elevantur et pubes, et eodem fere tempore sanguinis ex utero periodica fieri incipit excretio, quae ab hoc ad annum usque pene quinquagesimum, mensibus singulis, repetitur.

VARIAE de periodica hac sanguinis excretionem propositae fuerunt sententiae; quarum multae, utpote fictae potius, quam vero et solido rationis et experientiae fundamento innixae, jamdudum cor-

A

ruerunt,

* In aliis autem regionibus citius, in aliis tardius contingunt hae mutationes. Eodem quoque tempore variae et in maribus observantur mutationes; semen enim et barba tunc primum incitantur.

ruerunt, et a nobis tuto negligi possunt. Inter varias autem quae hodie de hac prostant opiniones, illa antiquissima etiam, quae plethorae seu nimiae sanguinis redundantiae hunc fluxum assignat, majorem caeteris veritatis speciem prae se fert. E re itaque fore judicamus, caeteris omnibus omis- sis, pauca quaedam de hac proferre.

CAP. I.

De PLETHORA.

MULTI et clarissimi Medici plethoram men- struorum esse causam voluerunt; quorum inter recentiores praecipui sunt, FREIND, BOERHAAVE, HALLER: et cum ea, quae a summis hisce viris de hac re in medium adferuntur, et rationi et expe- rientiae consentanea quodammodo videntur, dig- na sunt quae breviter hic perpendamus.

I. IN omnibus dum crescunt animalibus, ali- mentorum pars quaedam in incrementum eorum absumitur: quo tempore autem ad plenam per- ventum est pubertatem, alimentorum pars illa quae in corporis incrementum prius absumebatur, nunc quasi superflua accumulatur; vascula quoque firmiora jam facta, fluidorum impulsu vix ulterius ampliari queant, dum interim eadem ac prius san- guinis copia, in integris visceribus elaboratur. Ex
hisce

Hisce itaque causis, cum animal ad incrementi sui terminum pervenit, fluidorum redundantia necessario suboritur: plethora autem, quatenus exinde accumulatur, omnibus quibuscumque animalibus, et maribus pariter ac foeminis contingit. Alias ideo plethorae in foeminis causas recensere oportet: dicunt itaque fluida, pro solidorum ratione, majori esse copia in foeminis quam in maribus; quod quidem a cl. HALEs observatur, nec aliter fieri potest: cum enim foeminarum vascula molliora sunt et teneriora, fluidorum impulsui facilius cedunt, ideoque copia majore onerantur. In foeminis etiam ingestorum minus perspiratione diffatur, et ex motu ac labore minus fit dispendii. Si itaque, ex variis hisce causis, major fluidorum congesta fuerit quantitas, quam quae cum corporis vigore ac salute retineri queat, necesse est ut ex quadam corporis parte exitum obtineret. Quare autem ad uterum defertur haec sanguinis redundantia, ibique excernitur, ex sequentibus patebit.

ARTERIAE ad uterum ducentes, laxiores sunt, et lumina pro tunicarum robore et crassitie majora habent, quam alibi in corpore humano; venarum autem sanguinem ab utero reducentium capacitates vicissim sunt minores, tunicae earum firmiores, neque ullis praeditae sunt valvulis. His demum adde, uterum ab omni compressione esse prope immunem, situm corporis erectum, aliaque levioris momenti; quae omnia fluidis superfluis deorsum ferendis commode

mode inserviunt. Ubi igitur humorum suboritur accumulatio, in vasa uterina protruditur, et cum reditum per venas valvulis privatas liberum haud invenit, in vasa lateralia secedit; quorum oscula tenera ex humorum hoc impulsu adeo distenduntur, ut primum lympham quandam tenuem, serum dein, ipsumque tandem sanguinem rubrum stillent: hac via vasa uterina sanguinis onere liberantur, et oscula eorum dein contracta liquorem non nisi tenuissimum, quasi vaporem quo uterus humectetur, transmittunt: donec altera fiat accumulatio, quae ex iisdem causis renata, eadem qua antea via exitum invenit.

HAECQUE plethorae est doctrina, quae, quamvis speciosa sit ac probabilis, multis tamen magnisque obnoxia est difficultatibus.

I. PRIMUM notatu dignum est, causas plethorae jam recensitas mulieribus haud esse proprias: eidem enim humorum redundantiae, quae mulieribus summum incrementum adeptis accumulatur, omnia quaecumque animalia, et mares pariter ac foeminae, sunt obnoxia. Quadrupedum etiam, omniumque in genere animalium foeminae, corpora molliora habent et teneriora, et ad motum ac laborem maribus inertiores: in nonnullis quoque vasa ad uterum ducentia, et ex eo redeuntia, eodem quo mulieribus modo fabricantur. Unde itaque aliorum animalium foeminae menstrua non patiuntur? Unde mulier solum animal menstruale?

2. MENSTRUUA

2. MENSTRUUA etiam, quo tempore ad incrementum terminum perventum est, haud semper primum prorumpunt : foeminae enim nonnullae, postquam primum exitum invenerunt menstrua, per annum unum aut alterum quandoque crescunt, et proceriores multo evadunt ; mensstruis interim rite procedentibus.

3. SANGUINIS effluentis quantitas, non semper est pro ratione fluidorum, aut vasorum plenitudine : e contrario autem exsanguis, debiles, et inedia pene confectae mulieres, menstrua saepe patiuntur, quae et temporibus statutis, et interdum etiam copia immodica prorumpunt.

4. FOEMINAE, postquam aliquoties pepererunt, menstrua copiosiora habent, quamvis nulla sunt signa quae fluida maiore copia tunc accumulari docent.

5. FOEMINAE etiam, quando primum post partum redeunt menstrua, magis copiose purgantur quam postea, etsi sanguinis quantitatem haud exiguam in puerperio amiserunt.

6. SI aliquo tempore per mensium intervalla venae sectio instituitur, et sanguis ad copiam, illa etiam mensibus evacuata, maiorem effunditur *, mensium defectus ad proximam periodum expectandus est : saepe autem observatum est, evacuationem ejusmodi nil prohibere quin menstrua rite procedant.

7. SI

* Sanguinis quantitas quae hisce in regionibus uno mensium fluxu evacuat, quatuor aut sex uncias vix superat.

7. Si menstrua ex sola humorum redundantia oportet derivare, Unde fit, quod quamvis vasa, copia fluidorum majore quam consueverat, distendantur, menstrua tamen, nisi solitam ad periodum, vix prorumpunt? Ex KEILLII observatis constat, corpora nostra, spatio horarum 24, uncias circiter 40 perspirare; quibus nonnunquam addenda fluidorum copia haud exigua, quae indies corpora nostra ex aëre imbibunt, iterumque exhalant. Si perspiratio haecce obstructa fuerit, fluidorum quantitas, illâ quae mensibus evacuatur multo major statim accumulabitur, ideoque menstrua, plethora jam suborta, prodirent; quod cum non fit, plethora periodici hujus fluxus causa vix censenda. Haec praeterea fluidorum accumulatio aliquando suboriatur prope mensium periodum, cum periodica illa accumulatio, a natura instituta, pene perfecta est: plethora autem illa superveniens cum naturali conjuncta, menstrua solito citius movere debet; hujusmodi vero accelerationem revera fieri experientia rarius comprobatur.

8. ALTERA denique restat difficultas, cui obnoxia est haec sententia. Mulieres quarum menstrua diu supprimuntur, sub tempora quibus prodire solebant, pathemata varia utero partibusque vicinis experiuntur; quae omnia post aliquot tempus, nulla interim facta evacuatione, evanescunt. Si autem pathemata haec ex fluidorum in uterum descensu suborta fuerint, qui plethorae iterum tribuendus;

buendus; Unde fit quod cum nulla facta fuerit depletio symptomatum tamen fit intermissio; quae, plethora adhuc manente, non nisi ad solitas mensium periodos sentiuntur?

II. Cl. FREIND, qui fufius de plethora disputavit, peculiari quadam ratiocinationis via, hanc sententiam defendit. Ex hoc enim solo per se pensitato, certam scilicet sanguinis quantitatem mensibus singulis evacuari, plethoram prius accumulata fuisse quasi fontem hujus fluxus autumat. Tota ipsius argumentatio, huic nititur fundamento, foeminam nempe, mensibus expurgatis, eundem corporis statum tum quoad visum, tum quoad staticam, obtinere, quo sub intervalli menstrui initium fruebatur*. Hanc autem rem experimento demonstrare admodum difficile foret. Pro tempore enim quo mulier post partum aut varias corporis excretiones libatur, ponderis differentia, sex unciiis mensibus evacuationis major, facile suboriatur. Sed si aliquis experimentis hanc sententiam confirmaret, non tantum necesse est ut mulierem, ejusdem esse ponderis post quemlibet mensium fluxum, sed sex unciiis etiam ponderosiores esse ante quam post hunc fluxum, observaret: et praeterea, quod per totum mensium intervallum fluidorum gradatim facta fuerit accumulatio, quae sex uncias tandem confecerit: quam difficile autem foret tale instituere experimentum

* Vid. FREIND. Emmenol. cap. 3d. pag. 16, 17.

mentum, quisque facile videbit; et quanquam foret institutum cum hypothese vix conveniret. Credo enim mulierem et ante et post fluxum menstruum ponderis fere esse ejusdem: et hac quidem de causa; corporis humani lex esse videtur, quod, si sanguinis facta fuerit evacuatio, copia solita majori postea elaboratur, et hoc modo sanguis antea amissus statim reficitur. Ad hoc confirmandum a DODARTO observatum adduci potest, qui sedecim sanguinis uncias venae sectione depromptas, intra quinque dies restitui, se vidisse dicit. Propterea eandem causam, in haemoptycis, venae sectio absque ullo magno incommodo, adeo frequenter instituatur. Hinc probabile est sex uncias sanguinis, uno mensium fluxu evacuatas*, ex majori sanguinis copia per hoc tempus elaborata, refici. Et hinc quoque patet, nullum esse per mensium intervalla excretionum defectum, per mensium autem periodos vel per tempora quibus fluunt menstrua, praecipue hunc oriri defectum.

HISCE itaque difficultatibus, quibus plethorae haec sententia obnoxia est, enumeratis; nunc ad ea, quae pro virium tenuitate liceat nobis de menstruorum causis proferre, progrediendum. Pauca tamen prius de haemorrhagiis in genere dicenda sunt;

* Hisce in regionibus fluxus menstruum intra tres vel quatuor dies vulgo terminatur.

sunt ; quibus explicatis, uteri haemorrhagia illa periodica, sive fluxus menstruus, explicatu facilius evadat.

CAP. II.

DE HAEMORRHAGIIS IN GENERE.

IN partis cujuscunque haemorrhagia, nisi ex vulnere seu vi externa orta fuerit, notabile est ; pathemata quaedam singularia sanguinis eruptionem praecedere, quae sanguinem, in hanc quam in reliquas corporis partes copia et impetu majori, tunc ferri denunciant. Ita, faciei totius insolita quaedam rubedo, calor intensus, vasorum distensio magna cum pulsatione, narium etiam praecipue calor et rubedo cum pruritu ; sanguinis e naribus profluvium adesse praenunciant. In Haemoptycis, praecordiorum anxietas, pectoris dolor gravativus et calor cum spirandi difficultate, sanguinis e pulmonibus eruptionem antecedunt. Eadem de sanguinis fluxu ex quacunque corporis parte dicenda sunt ; omnia enim signa quae hunc praecedunt, fluidorum in partem, ex qua sanguis eruptura sit, influxum solito majorem, plane demonstrant. Si causam itaque insoliti hujus influxus indicare possimus, haemorrhagiarum causam proximam detectam fore censemus,

CELEBER.

CELEBER. HOFFMANNUS, vulgares haemorrhagiarum explicationes dubiis multis et difficultatibus implicari, facile videbat; et ideo novam harum explicationem proposuit. Cl. ille Medicus haemorrhagiarum causam proximam censet motum esse sanguinis impeditum: quando enim sanguis per vasa partis cujuscunque minus commode transfluere queat, in alias vias patentes necessario regurgitat, quas copia sua magnopere distendit, et ex quibus tandem prorumpit. Verba sua liceat proferre. Quibusdam prius observatis, ita loquitur: “ Ex quibus jam adductis, et probe invicem
“ expensis, liquido constare arbitror, haemorrhagias, quibuscunque etiam in locis prodeant, neque a sanguinis copia, neque ab ejus nimia turgescencia exitum per vasa affectante, neque ex
“ feri et sanguinis acrimonia diaeresin producente, aut ab ejus nimia tenuitate per vasorum poros
“ transudante, ut veterum fuit sententia, proxime et directe proficisci; sed potius, ab extra ad intus converso motu, atque inaequalitate circulationis sanguinis oriri; id quod efficitur, quando
“ certae partes, praesertim extremae et a corde valde remotae, intensiore fibrarum strictione ac
“ contractione ita angustantur, ut sanguis per venas refluere nequeat; sed, harum aucta systole,
“ majori copia et impetu, ad alia loca eaque inconvenientia transferatur; unde lateralia arterialium vasa, quae ordinario non sanguinem
“ stricte

“*ſtrictè ſic dictum, ſed tantum tenuem lymphaticum humorem vehunt, plus juſto diſtendantur et tandem aperiantur neceſſe eſt **.” In diſſertatione ſua de hæmorrhagiarum genuina origine atque curatione, varias Medicorum de hæmorrhagiis ſententias ſingulatim redarguit, quatenus hæc oriri dixerunt, vel ex ſanguinis turgelcentia, vel acrimonia, vel fermentis ſingularibus, vel denique ex nimia vaſorum laxitate et tenuitate ; et dein hanc propriam ejus ſententiam fuſius explicat et defendit.

CAUSA hæc propoſita, cum aliis conjuncta, ſanguinis eruptionem promoveat, per ſe autem hæmorrhagiam rarius ciebit : et iſdem argumentis, quibus cl. hic Medicus contra vulgares hæmorrhagiarum explicationes utitur, refelli queat et ipſius ſententia. Si enim vaſa partis cujuſcunque, partium ſcilicet inferiorum, ſpaſmo conſtricta fuerint, ex eo ſanguini tranſitus per hæc vias, pro parte ſaltem prohibetur, et inde ſanguis in alia vaſa regurgitat. Unde autem fit, ſanguinem nunc ad pulmones, nunc ad nares, et aliquando ad vaſa hæmorrhoidalia ferri ? Vaſa enim inferiora, vel partis cujuſcunque vaſa ſpaſmo affecta, ſanguini liberum tranſitum per hæc ſolummodo prohibent : haud tamen exinde in unam præ alia corporis parte neceſſario abripitur ſanguis.

Quo

* Hoff. Op. tom. 2. p. 195.

Quo melius autem inaequalis et inordinati hujus sanguinis motus causas perscrutemur, primum omnium inquirendum, ex quibus causis proximis circularis iste sanguinis motus, quo per totum corpus distribuitur, et tramites eisdem continuo legit ac relegit, suboritur. Hic sanguinis motus, uti hodie constat *, ex sanguinis ac cordis et vasorum natura proxime pendet: ea enim est cordis fabrica in vivo animali, imo et recens mortuo, quod ex sanguinis venosi influxu in contractionem statim excitatur. Arteriae quoque, quarum sectio quaeque quasi cor habenda, eodem modo ex sanguinis influxu in contractiones excitantur; et, his contractionibus cum cordis vi conjunctis, per varias corporis partes distribuitur sanguis. Haec cordis et vasorum vis, qua ad sanguinis attactum in contractiones excitantur, eorum Irritabilitas, et sanguinis haec potentia, ejus Stimulus a Medicis appellatur.

Cum igitur sanguinis circuitus ex binis hisce causis proxime pendeat; constat quod, ubicunque vasorum irritabilitas augetur, eadem manente sanguinis natura, vasa statim fortius se contrahent, et fluida impetu majori propellent. E contrario autem,

* Acutissimus Dr. WHYTT, Medicinae Theoreticae in hac academia Professor celeb. haec omnia de sanguinis motu per cor variaque corporis vascula quam feliciter explicavit. Vid. *An Essay on the vital and other involuntary motions*; and *An Inquiry into the causes which promote the circulation of the fluids in the very small vessels of animals*.

tem, vasorum irritabilitate manente eadem, si sanguinis indoles ita mutatur ut stimulus ejus augeatur, vis circulationis exinde quoque augebitur. Et denique, si binae hae causae simul fuerint auctae, vim maximam in sanguinis motu producent. Ex aucto autem sanguinis stimulo haemorrhagiae rarius forsitan expectandae: omnis enim in fluidorum indole mutatio, per totam eorum massam, vi circulationis, statim fere diffunditur; et ideo omnia corporis vasa aequae stimulat: ex mutata igitur altera circulationis sanguinis causa, ex aucta nempe vasorum irritabilitate, inaequalis et inordinata illa sanguinis distributio saepius deducenda est.

INSOLITOS hos fluidorum motus, ex tali vasorum affectione saepius proficisci, multa demonstrant. In variis animi pathematibus, fluidorum inaequales nunc in hanc, nunc in illam corporis partem distributiones, ex hac causa oriri videntur. Verecundus dum indecorum aliquid se fecisse putat, tota ejus facies calore et rubedine statim suffusa est; quoniam sanguis ex motu ejus turbato in vasa malarum abripitur: subita autem haec mutatio ex vasorum affectione, aucta scilicet eorum irritabilitate, et non ex sanguinis ipsius indole mutata, certe derivanda est. Si quispiam metu, vel graviore animi commotione corripitur, alvi fluxus vel urinae copia saepe supervenit. *Celeb. Dr. PRINGLE* historiam hominis memorat, qui
odore

odore humani sanguinis valde putridi vera dysenteria statim corripiebatur. In nonnullis etiam, nausea vel vomitus, medicamenti vomitorii odore vel visu, vel mentione tantum aliquando excitatur. Omnes hi effectus ad hanc causam referendi sunt.

Ex dictis probabile est, fluidorum in quasdam corporis partes prae aliis motus insolitos, ad solidorum potius quam fluidorum mutationes referendos. Symptomata quae in parte ex qua sanguis erupturus sit apparent; ea quae de sanguinis circulatione diximus; et exempla jam memorata, hanc sententiam confirmant: causa itaque haemorrhagarum, et haud raro etiam, censenda est aucta vasorum * irritabilitas.

ALIA

* Quenam sint illae in vasculis mutationes, ex quibus irritabiliores fiunt, omnino ignoramus: multa tamen docent, quod corporis nostri partes solidae citius saepe et facilius mutationes subeant quam fluidae; et multae sunt causae quae illas quidem partes afficiunt, dum fluidorum indoles ac natura immutata pene manet. Quanquam autem haemorrhagias ad hanc vasculorum mutationem, qua irritabiliora fiunt, saepius referendas esse diximus, nullum tamen est dubium quin ex plethora, vasculorum debilitate, aliisque causis, haemorrhagiae nonnunquam suboriantur. Ubi plethora ciet haemorrhagiam, sanguis redundans in eas partes fecedit, quarum vascula debiliora sunt et teneriora, et ibi accumulatur donec stimulo suo haec vascula adeo irritat, ut, auctis eorum motibus, demum expellatur. Si fluidorum acrimonia cum plethora conjuncta est, haemorrhagia copiosior erit, ex aucta nempe irritatione.

ALIA adduci possint observata, quae ad hanc rem sunt apposita. Notabile est, homines haemorrhagiis magis esse obnoxios quam ulla alia animalia; quae ex alia causa, quam majore vasorum mollitie et mobilitate, vix oriri queant. Solida eorum mutationes quam facillime subeunt; et exinde inaequales fluidorum fiunt distributiones. Observatur quoque, haemorrhagias magis adoriri illos qui partium mobilitate ac sensibilitate alios antecellunt, quam segniores et torpidiores, et eadem quidem de causa. Quoddam etiam huic consentaneum notavit magnus HIPPOCRATES, nonnullos scilicet, ubi venere uti incipiunt, haemorrhagiis laborare: cognitum enim est, multas magnasque in toto systemate perturbationes tunc oriri, quae ad solidorum potius quam fluidorum indolem mutatam referendae sunt.

REMEDIORUM effectus, quae ad haemorrhagias compescendas adhibentur, hanc sententiam confirmant. Omnibus notum est, quam graves et funesti aliquando eventus ex adstringentibus praemature applicatis oriri solent: eam ob causam HOFFMANNUS monuit, quod in profusa haemorrhagia

irritatione. Hoc quidem eo ipso confirmatur, quod, ubi perspiratio cohibetur, materia perspirabilis jam retenta ad nares nonnunquam defertur, et non solum quantitate, sed etiam acrimonia sua, motus vasculorum insolitos, inflammationem, aliave mala excitat; nares quoque tunc lympham quandam tenuem et acrem copiose stillant.

rhagia caute cum adstringentibus mercandum; a praepostera enim narium haemorrhagiae suppressione insequantur vertigines, apoplexiae, epilepsiae, convulsiones, aurium tinnitus, nec non gutta serena, quae omnia sanguinem magna copia et impetu in capitis vascula abripi denunciant; et cum exitum per has vias, propter constrictionem, non invenit, gravescunt symptomata, et dira haec mala sequuntur. Haec autem nunquam evenirent, si haemorrhagia ex sola vasorum laxitate orta fuisset: tunc enim sanguis tantum pondere suo ex vasculis decidit, quorum ostiolis adstringentium ope occlusis, malo statim occurritur. Sed si ortum suum ex aucta vasorum irritabilitate duxit haemorrhagia, adstringentia pessimos praestant effectus; vias enim sanguini in hanc partem vi magna abrepto occludunt: exinde mala omnia ingravescunt, vasa magnopere distenduntur, et de vita aegroti vel ex alio morbo fit periculum, vel sanguine majore adhuc impetu iterum prorumpente, haemorrhagia aliquando fit funesta. E contrario autem, summa opiatorum et anodynorum in haemorrhagiis cohibendis utilitas, ad hanc irritabilitatis doctrinam est quam apposita. Haec quidem cl. HOFFMANNUS commendat, ubi dicit, quod opiata cum nitrosis commixta ipso in haemorrhagarum paroxysmo indicatissima sunt *. Sed opium, uti experimentis celeberrimi Doctoris WHYTT dilucide

* HOFF. Op. tom. 6. p. 93.

dilucide demonstratur, vim habet magnam ad minuendam vasorum irritabilitatem *. Clysteres etiam, pediluvia, fatus, leniter purgantia, quae omnia in paroxysmo commendantur, ad nimium vasorum impetum cohibendum sunt utilia. Haec de haemorrhagiis in genere; jam quidem ad periodicam uteri haemorrhagiam veniemus.

C A P. III.

De HAEMORRHAGIA UTERI PERIODICA, *sive* FLUXU MENSTRUO.

QUEMADMODUM in superiore capite haemorrhagias ex quadam in solidis mutatione saepius oriri diximus, ita in hoc quaeritur, an ex simili causa periodica haec sanguinis ex utero evacuatio deducatur.

CONSTAT, quod, sub mensium periodum, fluida majore copia in vasa uterina adferuntur, et ibi accumulata plethoram parti huic singulae inferunt. Varia itaque argumenta quibus antea usi fuimus, hic adhiberi queant; et insolitum hunc sanguinis in uterum fluxum, ex *vasculorum* affectione, et non ex *fluidorum* vel in qualitate vel quantitate peccato, oriri docent. Constat etiam, ex signis quae mensium suppressionem comitantur, quod hic sanguinis fluxus in uterum periodicus est; foeminae

C

enim

* *Essays Physf. and Lit. vol. 2d. art. 20th.*

enim quarum menstrua supprimuntur, sub tempus quo menstrua prodire solebant, molimina quaedam in utero partibusque vicinis experiuntur, quae, periodo mensium elapsa, evanescent, cum nihil interim de plethora decesserit : eadem ad singulas mensium periodos observantur, et eodem modo evanescent. Hoc quidem omnibus fere notum, et jamdudum ab HIPPOCRATE observatum fuit : verba sua proferam. “ Intra vero quadrimestre
 “ spatium, nisi progressi menses prioribus viam fecerint, etiam tunc trimestres omnes afflictiones
 “ eam magis affligent, maximeque quo tempore
 “ menses decurrere consueverunt, postea minus,
 “ plerumque doloris expers videtur.” Eadem quoque contingent, nisi intra quintum mensem prodierint menstrua *. Haec periodicam quandam uteri affectionem indicare videntur. Periodica haec pathemata, quae ad mensium periodos experiuntur, ex sanguine majore copia in uterum determinato pro parte saltem pendent : sed quoniam fluidorum indoles immutata est, turbatus hic sanguinis motus quo in uterum periodice abripitur, ad vasorum affectionem, sive auctam eorum irritabilitatem, referendus est.

UBI supervenit haec uteri affectio, fluida majore copia in uterum derivantur ; exinde molimina, gravitates, aliaque symptomata quae tunc observantur. Si, fluidis ita accumulatis, via per vasorum

* Foef. Hipp. lib. 1. p. 589.

rum oscula tandem aperitur, deplentur vasa, et omnia pathemata evanescunt, neque iterum experiuntur donec altera suboriatur accumulatio. Si autem, dum fiat haec accumulatio, sanguini, vel ex spasmodica vasorum contractione vel alia quacunque causa, exitus negetur, varia haec pathemata per aliquod tempus ingravescunt, donec mensium periodo elapsa, periodica haec uteri affectio evanescat: tunc enim fluida haud ut antea in uterum abripiuntur, et vasa jam distenta ex onere suo gradatim liberantur, eodem fere modo ac in inflammatione partis cujuscunque externae, quae ex stimulo orta est externo; stimulo enim ablato, vasa priorem recuperant conditionem, et calor ruborque evanescunt. Varia itaque haec pathemata, quae plethorae universali omnino repugnant, ex hac sententia facile explicantur.

SED, quo melius hanc sententiam illustremus, periodicae quaedam affectiones, quae vel in aliis animalibus vel in ipso corpore humano observantur, recensendae sunt. Veneris tempora periodica, quae in multis observantur animalibus, et quae in cuniculis intra spatium triginta dierum recurrunt, hanc quodammodo illustrent: ad hoc tempus fluida copia solita majore in pudenda determinantur, turgescunt hae partes, et in foeminis sanguinem saepius stillant.

IN oeconomia humana periodicae quaedam observantur affectiones; inter quas recensenda est periodica

periodica illa cibi appetentia, quae temporibus statutis recurrit. Vix opus est ut causam appetituum proximam indicarem; sat est observare, reditus eorum ex consuetudine praecipue pendere. Parvi refert utrum bis an ter de die ad cibos sumendos homo se affuecat; sed si mos, ut ter de die cibos capiat, statuerit, appetitus tempore statuto redit, et quamvis cibos neglexerit, post aliquod tempus evanescit, et vix recurrit ante proximam periodum. Eadem de somno ejusque reditu dici possint.

AN febres intermittentes affectionis cujusdam periodicae huic similis exemplum praebent? Quisquis enim qui perlegit quae cl. V. SWIETEN* de his scripsit, vulgarem paroxysmorum intermittenti-um explicationem, quae, ad auctam quandam fluidorum acrimoniam vel visciditatem inter unum alterumque paroxysmum subnatam, reditus paroxysmorum refert, maximis obnoxiam esse difficultatibus facile videbit. Nonne probabile est, paroxysmos ex periodica nervorum vel fibrarum motricium affectione oriri, quod, homine jam diu ab intermittente liberato, illis praecipue diebus quibus paroxysmi advenire solebant, periculum est ne morbi recidivam patiatur? Ideoque monuit CELsus, “ si febris quievit, diu meminisse ejus diei
“ convenit; eoque vitare frigus, calorem, crudi-
“ tatem,

* Vid. V. S. vol 2. p. 257.

“tatem, lassitudinem, facile enim revertitur *, nisi
“a sano quoque aliquamdiu timetur.”

VARIA haec exempla affectionum periodicarum supra recensita, illustrant quodammodo quid per periodicam hanc uteri affectionem intelligimus; et pathemata quae menstrua horumque obstructionem comitantur, talem existere affectionem demonstrant.

AN ad hanc sententiam confirmandam faciunt sequentia? Mulieres delicatulae, quae morbo hysterico, epilepsia, aliisque malis quae ex nimia solidorum mollitie ac mobilitate saepius oriuntur, laborant, morborum paroxysmos praecipue patiuntur sub tempora quibus prodeunt menstrua, vel, si supprimuntur menstrua, sub tempora quibus prodire solebant: mulieres etiam abortum frequentius quam aliorum animalium foeminae patiuntur, et tunc praecipue quando menstrua decurrere consueverint.

NONNULLI viri clari, qui plethorae universalis sententiam defenderunt, hanc eo ipso demonstrari dicunt; quod sanguis, mensibus obstructis, ideoque via per uterum occlusa, per alias tamen corporis partes exitum aliquando invenit. Sed si ex sola plethora insolita haec sanguinis eruptio suborta fuerit, Unde non saepius observatur? menstrua enim saepissime supprimuntur, raro autem ejusmodi fit sanguinis evacuatio: et alia forsitan hujus rei
restat

* C. lib. 3. cap. 16. pag. 147.

reſtat explicatio. Omnibus cognitum eſt, quod in corpore humano mirus eſt partium conſenſus, et praecipue quod ex uteri affectionibus totum ſere ſyſtema turbatur. Dum advenit periodica haec uteri affectio, et ſanguini in uterum exinde abrepto exitus negatur, reliquae corporis partes ex conſenſu magnopere afficiuntur: hinc capitis, pectoris, aliarumque partium dolores. Fluida quoque in partes has affectas majore copia quam in reliquas abripiuntur, quarum vascula ita nonnunquam diſtendunt, ut ſanguis tandem prorumpat: hinc narium haemorrhagiae ſanguiniſque ſputum. Haemorrhagiae autem ex menſium ſuppreſſione perraro oriuntur: effectus frequentiores ſunt, morbi hyſterici paroxyſmi, vel ſpaſmodicae quaedam affectiones primarum varum; quae mala ſemper ingraveſcunt ſub periodum qua menſtrua decurrerent: hoc autem ex partium conſenſu facile eſt explicatu.

NOTATU dignum eſt, quod ſanguis per tales corporis partes periodice aliquando excernitur, ut ex nulla alia cauſa quam aucta vaſorum partis irritabilitate oriri queat. Ita per minimum digitum ſanguinem periodice excretum vidit SALMUTH. et per alias vias aeque extraordinarias ſanguinis excretiones alii viderunt: talium etiam haemorrhagarum ſuppreſſiones gravia inſequebantur pathemata.

SED

SED plura jam dixi forsitan, quam quae me, in re medica inexpertum pene, decent; et precor tantum, PROFESSORES SPECTATISSIMI, ut ea quae in re adeo difficili tanta cum libertate ausum proponere, condonetis. Jam quidem ad methodum medendi menstruorum vitia progrediemur, quam ut meliori cum successu tractemus optandum est.

CAP. IV.

De MENSIIUM SUPPRESSIONE.

MULTAE variaeque sunt causae remotae ex quibus hoc malum suboritur; quas tamen omnes vix opus est ut hîc enumeremus: causas proximas, vel eas in corpore mutationes ex quibus haec sanguinis suppressio proxime pendet, notare sufficit. Hae autem sunt,

I. SANGUINIS ipsius lentor et visciditas, quae motum ejus quodammodo suffocant.

II. VASORUM totius corporis laxitas et debilitas, unde fluida eorum minore impetu propellunt.

III. UTERI vasorum irritabilitas vel sensibilitas imminuta, unde segniora fiunt in motum.

IV. SPASMODICA vasorum constrictio, qua sanguini exitus negatur.

I. QUOAD sanguinis visciditatem, haec quidem ex defectu motus sanguinis, vel vi vasorum imminuta

nuta suboritur, unde variae sanguinis partes fortius coeunt. Eadem itaque remedia ad hanc amovendam, quae in mensium suppressione ex vasorum debilitate, indicantur; quae infra enumerantur.

II. SI mensium suppressio vasorum debilitati debetur, varia remedia, pro signis quae malum comitantur, adhibenda sunt.

1. SI ex signis plethorae constat, quod vasorum debilitas huic sanguinis redundantiae debetur, adeo ut vires eorum sanguinis oneri pene succumbant, venae sectio tunc statim instituenda; hac enim vasa se exonerant, pristinas deinde vires recuperant, et sanguinem majori impetu per varias corporis partes propellunt. Sanguis autem nunquam fere mittendus, nisi vasorum debilitas ex sanguinis onere ac redundantia suboritur.

2. Ad sanguinis spissitudinem corrigendam, res solventia, incidentia commendantur. Huic humorum vitio praecipue succurrendum observat cl. FREIND, purgantia adhibendo, quae non modo stimulo pollent, sed intra circulationis ambitum sese ingerunt, sanguinisque crasin immutant; talia sunt aloetica, mercurialia, jalappa, scammonium; quae tum lentorem resolvunt, tum ex stimulo quem in primis viis exercent fluida majore copia in partes inferiores derivant, et uteri vascula exinde latius distendunt.

3. AD

3. Ad vires vasorum recuperandas adhiberi queant roborantia, stimulantia; quae et ad vasorum debilitatem corrigendam, et ad visciditatem resolvendam, optimos praestant effectus. Hujusmodi sunt, ferrum ejusque praeparationes, aquae minerales chalybeatae, cortex Peruvianus, tinct. ad stomach. P. E. aliaque. Frictiones quoque et exercitatio merito commendantur, quae viribus solidorum reficiendis optime inserviunt, praecipue si eodem tempore cura adhibeatur ut hilaris alacerque sit animus; laetitia enim et hilaritas vires solidorum mirifice instaurant, dolor autem et maestitia relaxant et debilitant, et morbum ideo, si nimium iis indulgetur, augescunt.

III. Si ex uteri vasorum sensilitate imminuta suboritur mensium suppressio, tunc ea omnia quae uteri vascula praecipue irritant stimulantque, indicantur. Ad hunc statum itaque curandum, foci calidi ex herbis uterinis stimulantibus decoctis vel infusis, conducunt. Emmenagoga quoque hic forsitan praecipue indicantur; quae specifica quadam virtute ad menstrua movenda praedita esse nonnulli autumant*.

D

IV. SPASMO-

* An emmenagoga sanguinis impetum ac momentum per totum systema augescunt, ideoque menstrua promovent? An ex virtute quadam specifica vasa uterina tantum stimulant, et exinde sanguinem copia majore in uterum derivant; eodem modo quo copiosior salivae excretio mercurio excitatur? An hoc exinde probabile fit, quod emmenagoga tunc praecipue adhibenda, cum natura evacuationem meditatur, sub temporibus scilicet quibus menstrua prodire solebant?

IV. SPASMODICA vasorum constrictio mensium suppressionis altera est causa. Haec, vel ex frigore externo, vel ex frigidis, acidis praecipue et acescentibus, epotis, vel ex ullo in victu errore dum menstrua adsunt, suboritur: ex multis etiam animi commotionibus, subito nempe terrore, maestitia, timore, iracundia, saepissime formatur hic spasmus, praecipue quo tempore menstrua decurrunt; quoniam uteri vascula ab aucta eorum irritabilitate in spasmos tunc facilius conjiciuntur. Ad spasmum hunc amovendum varia indicantur.

1. SI obstructio recens est, et si symptomata hanc ex tali constrictione oriri demonstrant; si magna est sanguinis ad uterum congestio; si pectoris capitisque adsunt dolores; si facies rubedine suffusa est; si pulsus durus, celer; et si constrictio a sanguine in uterum abrepto superari nequeat: venae sectio alia omnia praecedere debet. Haec tum ad pathemata lenienda, tum ad spasmum relaxandum magnopere conducet. Venae sectio etiam instituenda ubi symptomata sunt mitiora, ob vim insignem qua pollet ad spasmum amovendum; quo semel amoto, sanguis ex vasculis nimium jam repletis facile exibat.

2. BALNEA deinde, pediluvia, fots applicentur. Aquae etiam tepidae vapores, vel infusus etiam vel decoctus herbarum antispasmodicarum, ad pudenda, si commode fieri queat, proxime applicentur.

3. NONNULLA

3. NONNULLA sunt remedia quae ad constrictiones spasmodicas amovendas aptissima sunt, et exinde antispasmodica dicta; talia sunt camphora, moschus, assa foetida, liquor aethereus Frobenii, opiata, aliaque. Haec itaque, ubi mensium suppressio spasmo exoritur, praecipue indicantur.

4. ALVUS quoque indies leniter movenda, manna, salibus neutralibus, aliisque quae lenissimo pollent stimulo; his enim corpus commode refrigeratur. Clysmata etiam ex aqua tepida, vel ex herbis emollientibus antispasmodicis decoctis, saepius injecta, vicem fatus quam optime praestant, ideoque ad spasmum relaxandum praecipue accommodantur.

TALIS est medendi methodus, si malum quodammodo recens est; sed si jam diu infixam inveteravit obstructio, tunc ex consensu totum fere systema turbatur: tubi alimentaris functiones cito laesae sunt; spasmi, flatu, affectiones hystericae generantur; succus ad varias corporis partes enutriendas idoneus elaborari nequit; exinde solida jam etiam debilitata, magis magisque necessario debilitantur, fluida inquinantur, et obstinata tandem formatur chlorosis: quorum omnium malorum uterus primario affectus fons est et origo. Ubi autem hucusque accreverit malum, venae sectione plerumque abstinendum; primae viae omni cruditate, vomitu, et catharsi emundandae; deinde roborantia, stimulantia, quae vasculis vires, fluidisque indolem naturalem

ralem concilient; antispasmodica, deobstruentia, emmenagoga, quae spasmus amoveant, et fluida majori copia in uterum derivent, adhibenda sunt: exercitatio quoque, aliaque quae in mensium suppressione ex solidorum debilitate commendantur, hîc etiam menstruis ciendis optime inserviunt.

C A P. V.

De FLUXU MENSIIUM IMMODICO.

CAUSAE proximae hujus mali sunt,

I. PLETHORA.

II. UTERI vasorum laxitas, cum sanguinis tenuitate.

III. OMNIA quae uterum irritant stimulantque.

IV. AUCTA vasorum uteri irritabilitas solito diutius persistens.

I. SI plethora insolitae hujus evacuationis sola est causa, mali nomen vix meretur; tunc enim vel ipso sanguinis fluxu, vel venae sectione, facile amoveatur.

II. SI ex sola vasorum laxitate, cum sanguinis tenuitate, subortum est vitium, adstringentia et roborantia medelam praebent: adstringentium enim ope, oscula vasorum occludantur, et sanguini ita exitus negatur; roborantia quoque solidis robur ac tonum, fluidis partium compactionem et cohaerentiam conciliant: remedia itaque quae hic praecipue

praecipue indicantur, sunt cort. peruv. et elix. vitriol.

III. PROFLUVIUM hocce nonnunquam exoritur ex quibusdam quae stimulo suo magnam sanguinis copiam in uterum derivant: talia sunt frustula placentae post partum relicta, massae sanguineo-carnosae in utero generatae, molae vulgo dictae. Idem quoque malum in gravidis ex foetus pondere ac stimulo oriri queat, praecipue circa mensium periodos quando uterus solito irritabilior est; vel si, post partum, placenta utero jam adhaerens vi nimia ablata fuerit, vasa uterina vel lacerantur, vel insignem patiuntur irritationem; et exinde hic sanguinis fluxus turbatur, et immodicus saepius evadit.

SI ex pondere foetus ejusque stimulo malum pendeat, et magnum sit profluvium adeo ut de vita periclitetur, foetus tunc statim educendus, nisi opiatum leniri queat irritatio. Molae etiam frustulaque placentae, si commode fieri possit, eodem modo educenda. Opiatis dein vascula irritata sopienda, et cura quoque adhibenda ut vires instaurantur.

SED si causa irritans auferri nequeat nisi summo cum vitae periculo, et profluvium haud valde immodicum, symptomata opiatorum usu lenienda, donec vel naturae auxilio excludatur, vel putrefactione dissoluta secedat. Vires deinde ut antea reficiendae.

dae. Hujusmodi exemplum videre est apud FREIND*.

IV. UBI de haemorrhagiis in genere agebatur, has ex aucta vasorum partis irritabilitate saepius oriri dicebamus: signa quoque quae immodicam mensium eruptionem comitantur, et medendi methodus quae efficacissima invenitur, hanc ex eodem fonte nonnunquam oriri docent. Ad medelam haec indicantur, auctam vasorum irritabilitatem lenire, et vires vasorum ex sanguinis fluxu multum debilitatas reficere.

SI ex immodico sanguinis profluvio adeo debilitata fuerit aegra, ut de vita conclamatum nisi statim cohibeatur, tunc anceps quam nullum satius est experiri remedium; ideoque ad styptica et adstringentia statim confugiendum, quibus vasorum oscula occludantur, et sanguinis profluvium cohibeatur. Hujusmodi historia a cl. HOFFMANNO memoratur†. Accersitus ad foeminam immodica uteri haemorrhagia laborantem, et cujus universus fere sanguis promanaverat, adeo ut de vita tantum non conclamatum; in tanto vitae periculo, ad anceps et extremum confugiebat auxilium, linteum scilicet apte contortum, et solutione capitis mortui vitrioli probe imbutum, in uteri sinum intrudi curavit, et felici cum successu.

I. UBI autem haemorrhagia non ita immodica, neque in tanto vitae periculo versatur aegra, prima

* Vid. FREIND. Emmenol. p. 183, 184.

† HOFF. Op. tom. 2. p. 228.

ma medelae indicatio est, auctam vasorum irritabilitatem lenire : ideoque venae sectio, nisi vires et habitus aegrotae prohibent, instituenda. Nonnulli omnem venae sectionis utilitatem ad revulsionem exinde factam referunt; et sanguinem ideo e brachio educendum docent. Sed parvi refert ex quam corporis parte, modo eadem quantitate educitur; summa enim ejus in haemorrhagiis cohibendis utilitas, est, quatenus vasorum totius corporis, et exinde vasorum uterī, vim et impetum lenit ac compescit, et quatenus sanguinis quantitatem quae in uterum abripiatur, imminuit.

2. AD auctam vasorum uterī irritabilitatem minuendam conducunt etiam immisiones manuum vel pedum in aquam frigidam, linteum aqua frigida vel aceto madidum lumbis subito adhibitum: haec enim non solum sanguinis calorem et rarefactionem minuunt, sed per sympathiam oscula vasorum uterī subita constrictione afficiunt. Ulterius ad nimiam vasorum uterinorum irritabilitatem minuendam conducunt vesicatoria inter scapulas, vel aliis corporis partibus applicata: dolore enim quem excitant in parte cui applicantur, causam uterina vasa exagitantem minus sensibilem reddunt, unde leniuntur eorum motus insoliti, et mitior fit sanguinis fluxus. A Medicis practicis aliquoties observatum est, vesicatoria fluxum mensium immodicum cohibuisse; veram autem effectus hujus rationem nemo, quantum novi, attigit; cantharides enim

enim vix agere videntur adstringendo, uti quidam credunt.

3. NITROSA autem refrigerantia, anodyna, opiata, vasorum irritabilitati leniendae quam optime inserviunt, hystericas etiam et spasmodicas intestinorum et ventriculi affectiones sedant ac compescunt.

4. ALVUS quoque clysmate laxante sub tepido saepius movenda; nihil enim malum citius augebit, quam stimulus qui ex alvi constrictione suboritur.

UBI remediis hisce vasorum irritabilitas lenitur, quoniam ex sanguine amisso vasa laxa sunt et debilia, restat tantum ut vires eorum reficiantur.

IN hunc finem alimentum enutriens, sed pene jam elaboratum, et roborantia adhibeantur; ab omnibus autem quae stimulo saltem eximio pollent caute abstinendum; hisce enim haemorrhagia iterum facile movetur. Amara, chalybeata, cortex peruvianus, cum leni exercitatione, medelam facile praestabunt.

F I N I S.